

instituantur concertationes et disputationes ad normam strictae dialecticae. Ad quotidianas repetitiones singuli parati accedant: quorum uni, minime quidem praemonito, repetendi munus magister iniunget. Denique alumnis large suppetant quaecumque ad inertiam intellectus depellendam ad maiora scientiae lucra providenda usui fore iudicentur.

III. — Omnes horae diei ita inter res agendas distribuuntur, ut nulla vacua sit aut male collocetur. Nemo permittatur per diversa librorum et studiorum genera vagari; sed cuique certa opera praescribantur, quibus legendis momenta ab aliis occupationibus libera, impertiat. Qui contra faciat, et tempus conterat inaniter, nec monitus resipuerit ablatis libris inutilibus, puniatur. (S. Caroli Borromaei Institutiones ad universum seminarii regimen pertinentes: pars v, cap. 2).

IV. — Ne unquam discendi ardor alumnis defervescat, immo omnes sacrae eruditioni animum applicent indivisum, immunes esse debent ab officiis administrationis aliisve cum studiorum detrimento obeundis.

V. — Quovis anno exeunte, aut si videtur sexto quoque mense serio examinentur apud synodales censores virosque doctrina praestantes, praeside Episcopo vel alio ad hoc delegato. Quod quisque specimen ingenii et scientiae dederit in libro certa forma consignetur.

VI. — Qui in examine aliisve experimentis se penitus ineptum ostendat, opportune dimittatur e seminario, quippe quod non ea de causa est fundatum, ut in eo simplices sacerdotes sibi tantum utiles futuri, at non aliis, educantur (S. Carolus Borromaeus, loc. cit. pars I, cap. 2).

VII. — Nihilominus si quis optimis quidem mori-

bus clarus, nec prudentiae expers, et ad munia ecclesiastica propensus, pro rudiori tamen ingenio aut nimis provecta aetate, ad capessendas scientias haud sufficiens videatur, consulatur Antistes, cuius erit statuere utrum sit necne ob gravissimas rationes in clerum adlegendus. Ubi admittatur, candidatus poterit theologiae morali et casibus conscientiae operam dare, atque iis quae ad sanam dogmatum notitiam pertinent, ut ea tum ipse probe intelligere tum alios edocere valeat. Quod Sancto Carolo Borromaeo probatum fuisse novimus, qui huiusmodi clericos praesertim e locis montanis et remotioribus, libenter excipiebat, ut in seminario instituti, postea in ecclesiis ruralibus pastoralis ministerio fungerentur (Abelly. Pastoralis sollicitudinis enchiridion cap. 11).

§ IV.

De disciplina in maiori Seminario tuenda.

I. — Sacri tyrones omnes in clericali contubernio vitam perpetuo agent, neque externi ulli in discipulorum albo recensebuntur; ne ex commercio cum extraneis, alumni evagationem animi aut aliud quidpiam detrimenti patiantur.

II. — Tonsura utantur ad formam sui gradus, et habitu ab Ordinario praescripto. Etsi luxus ac sumptuosa superfluitas eos quam maxime dedecet, nitoris tamen in vestibus, in corporis cultu ceterisque omnibus sint studiosissimi.

III. — Quidquid opus est ad valetudinem servandam vel restaurandam libenter suppeditetur: verum nec delicate vivere, nec commodis inhiare aut ingenio suo mollius indulgere sinantur. « Nihil inter ipsos dif-

ferat, omni divitis et pauperis, nobilis et obscuri discrimine sublato. (S. Carolus Bor. loco cit. pars III, c. 2).

IV. — Universim in seminarii regimine nihil sit dissolutae laxitatis, nihil rursus severitatis nimiae. A clericis enim merito expectatur, ut non reluctantem aut timore coacti, sed ultro, suapte sponte et voluntate, iugum suave accipiant, quod bonum est homini si portaverit ab adolescentia sua. (Prov. XXII, 6). Nempe, si exactioribus vivendi formulis in tyrocinio assuefiunt, iidem postea quum sui quodammodo iuris et arbitrii erunt, disciplinae ecclesiasticae adhaerebunt et ex animo, et sicuti nunc inter sodales, ita deinceps in fidelium grege, Christi erunt bonus odor.

V. — Firmiter inhibeantur superiorum carpere facta aut mandata, seminare discordias, alienam famam sparsis susurrationibus lacerare, privatas amicitias inter se inire, secreta conventicula, segnitie et torpore languere: quae omnia spiritui ecclesiastico directe adversantur, ideoque eorumque emendationi sollicite consulendum est. Quidquid autem mores corrumpere possit omni studio extirpetur.

VI. — Nihil perniciosius adolescentibus, qui in seminario degunt, quam saepius domi, multo magis per urbem vagari, atque hoc inanis levitatis certissimum est argumentum. Districtissime vetitum sit in seminario degentibus, ne quis eorum foras egrediatur nisi petita licentia Rectoris, qui causa cognita et probata comitem adiunget aptum et fidum. Qui sine facultate discesserit, aut tempore praescripto non revertatur, inconsulto Praesule, denuo recipiendus non est. Nemo etiam sine Praesidis venia ad colloquendum cum externis vocetur. (S. Carolus Bor. Institut. Semin. par. I, cap. 1, 2 et 10; par. III, cap. 3 et 6).

VII. — Distincte definiatur quid quavis hora sit agendum, et omnes audito campanae signo statim quo vocantur conveniant. Semper et ubique modeste versentur, quia iuvenilium annorum est peculiare ornamentum; superioribus omnem honorem deferant, ac silentium quando praeceptum est, religiose servent.

VIII. — Nisi concio ad mensam habeatur, lectio fiat quotidie sub prandio et caena.

IX. — Ut a labore paulisper cessando, vires deinde vegetiores ad studia conferant, omnes statis horis, vel ambulatione, vel honesto ludi genere corpus exerceant, in quo tamen nec tumultuose vociferentur, nec quidquam praeter decorum admittant. « Numquam separatim ab aliis inter se colloqui aut esse liceat, nisi tres saltem fuerint praesertim recreationis tempore. » (S. Carolus Bor. loco cit. pars II, cap. 8, pars III, cap. 4).

X. — Absoluto anni scholastici cursu, unus alterve mensis vacationi concedetur: sed ipsa haec recreatio clericalem disciplinam redolere debet, neque ita ab omni occupatione vacua esse ut otio periculoso indulgeatur.

XI. — Ne fructus laboriosae educationis, quem in pluribus miserabiliter perire ingemiscimus, foris dissipetur, hoc votum, hoc nobis certum consilium est, alumnos ipso feriarum tempore a suis quemque laribus prohibere. Episcopi, Dei providentia freti, laborem conferent ad villam in loco salubri et amoeno coemendam vel aedificandam ubi iuvenes rusticentur.

XII. — Quod si necessariae pecuniae in promptu non sint, ideoque optata non illico consequantur, aut alia de causa clericos ad sedem domesticam remittere necesse sit, hac synodali constitutione praecipimus vicariis foraneis, parochis aliisque, ut quae supra, de vi-

gilandis alumnis dum penes suos demorantur, mandavimus, eadem severius adimpleant, statimque ab initio sacros tyrones suae curae et directioni subiiciant. Hi autem post ferias in seminarium non recipiuntur, nisi testimoniales litteras parochi exhibeant.

Postremo de moderanda vitae ratione in seminariis plurima prudentissime constituit Archipraesul Mediolanensis S. Carolus Borromaeus (Acta Ecclesiae Mediolanensis tom. II), ex quibus Episcopi quod magis expedierit eligant, aliaque suo tempore adiungant, quae maioris commodi gratia addenda videantur.

§ V.

De sanctimonia clericorum alumnorum.

Ad doctrinam adipiscendam ipsa virtus est praeparatio optima et necessaria: qua dempta, scientia non aedificat, sed inflat. Imo passim omnes videmus, mediocri ingenii viros, qui spiritu ecclesiastico ac vero animarum zelo sunt imbuti, uberiores fructus afferre in vinea Domini, quam eos qui tam eximiis dotibus destituti, mentis acie et eruditione praecellunt. Sicut igitur probitatis maior est necessitas quam doctrinae, ita in eius acquisitione magis est laborandum, atque omnem industriae vim illuc impendere debemus, ut adolescentes clerici ad perfectionem animi efformentur. (SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Quod multum* ad Episc. Hungariae 22 Aug. 1886 – et Litterae *De spirituali recessu*, 18 Dec. 1889; – S. Carolus Bor. Inst. Semin. par. III, cap. 3).

Cuius rei praeclarum inter alia documentum praebent Litterae Sanctissimi Domini N. Leonis XIII (*Iam pridem* 7 Ian. 1886): « Cum enim qui primoribus annis

Deum elegerunt in haereditatem suam ex Apostolorum Principis praecepto teneantur seipsos vivam virtutis continentiaeque formam oculis christiani populi exhibere, ii mature discant oportet cupiditatibus suis dominari, terrena despiciere, coelestia appetere; quorum et cogitatione muniti, et amore inflammati, facilius possint inter mundi corruptelas caste integreque versari. Oportet insuper ut cito assuescant constanti et impavido esse animo in munere explicandae populis tuendaeque catholicae veritatis, quam mundus spernit ac pertinaci odio persequitur. . . Scilicet, sacrorum alumni, procul ab humanarum curarum aestu, ad apostolica ministeria rite obeunda informentur, et ad quaeque vitae incommoda, et ad omne laborum genus laeto animo subeundum in salutem animarum. » Cui mandato obtemperantes haec decernunt Patres Concilii Primi Antequerensis:

I. — Unusquisque eorum qui in maius seminarium recepti sunt, statim fere ab initio spiritualibus exercitiis per octiduum vacabit ac totius vitae peccata expiabit confessione: tandem eadem sacra exercitia singulis annis, transactis feriis, erunt ab omnibus iteranda.

II. — Praeter orationem mentalem et vocalem, piam lectionem, examina conscientiae, cultum Deiparae Virginis, aliaque opera superius pro seminario minori indicta, ecclesiastici tyrones peculiaribus exercitationibus excitentur ad quotidianos virtutum progressus. Ita v. gr. semel in mense dies integer seponatur ad animum colligendum eiusque vires redintegrandas. Curandum est ut omnes alumni studiis theologis vacantes, semel in hebdomada ad sacramentum Poenitentiae, et saltem eadem frequentia ad S. Synaxim accedant.

III. — Per crebras collationes et cohortationes excolatur in eis mentis devotio, puritas cordis, vocatio sacerdotalis. Sit ipsis persuasum meliorem esse diem unam in atriis Domini super millia, et dum in sancta sua electione acquiescunt et delectantur, simul certatim nitantur se tantae dignitati pares exhibere; « quia quot utiles boni, tot detrimenta mali sacerdotis vita proficiscuntur » (S. Carolus Bor. pars III, cap. 3).

IV. — Sanctitas complectitur non solum probos honestosque mores, sed eum quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde existit similitudo Iesu Salvatoris nostri summi et aeterni sacerdotis (Leo XIII *Quod multum* ad Episc. Hungariae). Imo spiritus ecclesiasticus non aliud est quam copiosa participatio spiritus Christi. In quo sciant se prope nihil profecturos nisi Domini vitam et passionem sedulo contemplantur, ad eum assidua prece confugiant, seque in familiarem eius consuetudinem penitus immergant: non autem habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium (Sap. VIII, 16); volumus etiam ab omnibus impense fovendi devotionem in Spiritum Sanctum, ut fons ille sapientiae et origo, lux beatissima, dulcis hospes animae, apud sacros tyrones mansionem faciat atque in eis operetur.

V. — Iuvenilis clericorum familia mutuae benevolentiae et caritatis vinculo colligetur. Rectori etiam ac confessario sensus suos libere aperiat seque illi regendam committat, « cum nihil sit difficilius adolescenti quam immoderatis animi affectionibus per se moderari » (S. Carolus Bor. pars III, cap. 3).

VI. — Detur opera praecipue in confessionibus et domesticis adhortationibus ut omnis ex ipsorum mentibus sitis et aviditas beneficiorum tollatur, neque ipsi

quidem inter se de ea re colloquantur: iis saepe inculcetur quam aversi a rerum humanarum cogitatione ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant. (Ibid. pars I, cap. 1).

VII. — Reprehendit D. Augustinus eos qui sacramento volunt indui, sed non etiam sanctitate et iustitia. Quamobrem quicumque ad ordines etiam minores brevi assumendi sunt, accuratam praeparationem adhibeant, atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in iis cum aetate simul et virtus et doctrina augeatur, quod et bonorum morum exemplo et assiduo in Ecclesia ministerio atque maiori erga superiores omnes reverentia et crebriori quam antea corporis Christi communionem maxime comprobabunt. (Trid. sess. XXIII. De reform. cap. 11, 12 et 13). Qui autem ad maiores ordines, et praesertim ad presbyteratum propius adsunt, excelso gradu quem appetunt, haud indignos se ostendant, sed ita castis moribus ac splendore virtutum conspicuos, ut angelica ab iis conversatio possit expectari.

CAPUT III.

DE SEMINARIORUM MODERATORIBUS.

§ I.

De iure Episcopi.

Parum ac prope nihil foret collegia certa legum ratione stabilire, nisi etiam praeficiantur moderatores, qui legum illarum observantiae scite prospiciant. Iamvero praecipuus et supremus seminarii Praeses ipse Episcopus est: nam ea omnia quae ad seminarii regimen, ordinationem, gubernationem et administrationem pertinent, a dioecesano Antistite unice pendere

debere praecipimus, qui quidem Antistes suam libe-
 am plenamque auctoritatem et ius in eo exercebit
 (Bulla *Illud in primis* 23 Iunii 1891). Utique si ab
 iis quibus dictum est: « Docete omnes gentes, reli-
 gionis doctrinam homines debent excipere, quanto va-
 lidiori iure ad Episcopos cura pertinet, ea quam po-
 tiorem duxerint ratione, eorumque docentium ope quos
 maxime probaverint, sanae doctrinae pabula tradendi
 his, qui pro suo ministerio sal terrae futuri sunt, et pro
 Christo apud homines legatione functuri? Nec solum
 hoc gravissimo munere obstringuntur Episcopi, sed eo
 etiam ut vigilantiam suam bono alumnorum sacri or-
 dinis impertiant, eosque mature imbuant solidis pie-
 tatis sensibus, qua dempta, nec ii sacerdotii honore
 digni sunt, nec muneribus eius rite implendis pares
 esse possunt » (Leonis XIII Encycl. *Iampridem nobis*
 ad Episcopos Borussiae 7 Ian. 1886).

I. — Quonam pacto haec clericalis educationis
 asyla Episcopi sollicitudine fovenda sint, edixit Bene-
 dictus XIV, videlicet ea saepe visendo, singulorum
 adolescentium vitam, indolem, in studiis profectum ex-
 plorando, aliqua beneficia iis qui virtutum suarum spe-
 cimen clarius praestiterint, conferendo. (Constit. *Ubi*
primum). Sane efficacem omnibus stimulum addet, si
 variis scientiae tentaminibus aut devotionis exercitiis
 ibidem fieri solitis, ipse interdum praesideat; imo, data
 occasione in solemnioribus disputationibus partem suam
 agat.

II. — Praestituti disciplinarum curriculi observan-
 tiam fideliter urgebit, ne quid negligentia intercidat,
 ac simul puritati doctrinae tradendae invigilabit.

III. — Discolos, incorrigibiles, ac malorum morum
 seminatores acriter puniet, eos etiam, si opus fuerit,

expellendo; omniaque impedimenta auferens, ea quae
 ad conservandum et augendum tam pium et sanctum
 institutum pertinere videbuntur, diligenter curabit (Trid.
 sess. xxiii, cap. 18 De reform.). Dum annuam agit
 visitationem de Rectore ac ceteris officialibus percun-
 ctetur an omnes munus suum diligenter adimpleant.
 (S. Carolus Bor. De Semin. pars I, cap. 8).

IV. — Quamvis praesulis arbitrio definienda sint
 quaecumque ad studia, ordinem domesticum, rerum-
 que temporalium conditionem attinent; attamen ad tra-
 mitem Concilii Tridentini et Sanctae Sedis decreta,
 ope utatur sex deputatorum, quorum duo priores eli-
 gentur ab Episcopo et coetu Canonicorum, pro spiri-
 tuali et disciplinari seminarii administratione. Rei vero
 oeconomicae et temporali directioni assignabuntur duo
 de Capitulo, item duo de clero civitatis. Ex iis qui e
 gremio Capituli assumendi sunt, unum deliget Episco-
 pus, alterum Canonici; de reliquis dioecesanus Antistes
 eliget unum, clerus ipse alterum. (Trid. sess. xiii,
 cap. 18, De reform.). Tum hi, tum alii pro arbitrio
 Praesulis convocandi semel in mense, aut saepius, si
 expediat, deliberaturi conveniant, duplex erit congre-
 gationum genus: in altero proponuntur ea quae ad
 studia, pietatem ac disciplinam pertinent, in altero
 agetur de bonis ac iuribus conservandis et amplifican-
 dis, de instaurandis praediis et aedibus, de taxa exi-
 genda, rationes expensarum et alia huiusmodi reco-
 gnoscuntur.

V. — Res omnes quae in consultationem venerint
 ad Episcopum deferentur si abfuerit. Ipse autem, hac
 super re, deputatis auditis, quae pro sua prudentia ad
 seminarii utilitatem potiora sint, statuet.

§ II

De moderatoribus et professoribus universim.

I. — Rectores et professores ab Episcopo libere nominabuntur, eidemque Episcopo liberum erit, quotiescumque id necessarium vel utile ipse iudicaverit, remove; (Bulla *Illud in primis* 23 Iunii 1891). Nec tamen id temere aut ex libitu fiat, si quidem ex frequenti mutatione incommoda plura solent oriri. Dummodo munere suo rite fungantur, omni studio sunt in eo detinendi, procul dubio eo magis idonei ac periti futuri, quo stabiliores.

II. — Ne autem penuria vel praesentis conditionis taedium eos a sancto proposito deterreat Antistes eorum rei temporali paterno affectu providebit, iusto prout circumstantiae permiserint assignato stipendio, et per honorem eis delatum prospiciet ut omnibus innotescat magisterii dignitas.

III. — Ipsa rerum natura suadet ut dumtaxat ex ordine cleri assumantur et nulli laici, in quantum fieri potest, ad docendum arcessantur. Expedit omnes in ipso seminario domicilium habere.

IV. — Quia ex praesidum agendi ratione, tota collegii prosperitas pendet, Episcopus, audito consilio deputatorum, superiores et magistros eliget inter clericos doctrina et moribus, prudentia et rerum usu probatissimos.

V. — Moderatoribus universim commendatur sacerdotalis abnegatio et assiduitas in munere exsequendo. Ne terrenas remunerationes avidius anhelent, sed in suo officio se iugiter perficientes, eique totos se de-

voventes, excellentiora praemia expectent a servatore nostro Iesu Christo, cuius causa desudant.

VI. — Sint tamquam fratres unanimes, quorum sententia eadem, voluntas concordissima, operae consociatae, quoties de tuendis seminarii rationibus agatur. Ut Deus caeptis benignus aspiret, cordi habebunt tum collegii statuta, tum particularia Episcopi iussa explere et explenda curare.

VII. — Alumnos omnes pari amore complectantur, non uni magis quam alteri familiares. Gravitate et fortitudine praestent, ac si opus sit, severa etiam firmitate. Attamen imbecillis aetatis rationem habeant: nam lex rectae educationis plerumque ea est ut lac praebeant parvulis, eorumque infirmitatibus compatientes paterna eos regant caritate, nec dominationis, sed exemplaris conversationis praerogativa iis imperent. (Conc. Colocense tit. iv, cap. 4).

VIII. — Revera cum iuvenilis animi exemplis magis quam praeceptis moveantur, praesides eam puritatem, obedientiam, Ecclesiae amorem aliasque virtutes in seipsis ad vivum exprimere debent, quas nunc in adolescentibus, quondam in sanctuarii ministris, fulgere cupiunt.

§ III.

De Rectore.

Ut nunc de moderatoribus singillatim agamus, quae hucusque decreta sunt, maxime spectant Rectorem, cuius zelo pervigili et perspicaci prudentiae committuntur non solum novelli tyrones, sed magistri etiam et officiales, ac reliqui omnes qui ad seminarium pertinent.

I. — Rector igitur prae ceteris sit aetate maturus, auctoritate gravis, scientia, consilio, vita intemerata

spectabilis, disciplinae clericalis peritus, reticens ac studiosus, in iis intelligens quae sunt temporalis administrationis; neque onere alibi residendi ligatus. (S. Carolus Bor. De semin. pars II, cap. 1).

II. — Huius communitatis, vel potius familiae, quae ex alumnis eorumque praeceptoribus coalescit, ipse pater esse debet, in omnes mitis ac perhumanus. Quaecumque ad spiritualem profectum, bonam valetudinem, honestam quoque recreationem conducant, conetur abunde suppeditare. Eos qui morbo correpti decumbunt, studiose fovebit.

III. — Summam provisionem et cautionem adhibeat ne collegii statuta et regulae a quovis infringantur. « Ipse crebro ecclesiam visitet, gymnasia, locum recreationis et reliqua, et quid in eis agatur perspiciat » (S. Carolus Bor. loc. cit. cap. 2).

IV. — Si quid in praefectis et magistris animadvertit ab officio aut decore alienum, vel ipse privata monitione prudenter emendabit, vel pro delicti gravitate ad Episcopum referet. Vicissim ab omnibus exigit ut praeceptoribus et officialibus obtemperent, nec patietur quidquam apud discipulos aliosve de superiorum fama, existimatione et auctoritate detrahi.

V. — Bis saltem in mense convocabit vicerectorem, aliosque studiorum et disciplinae moderatores, tum de re domestica, tum de iuvando clericorum progressu consultationem habiturus.

VI. — Percunctanti Episcopo, alumnorum vivendi rationem, ingenium, pietatem fideliter patefaciat, nihil gratiae tribuendo aut humanis rationibus. Praesules quidem iubentur cavere ne cuiquam cito manus imponant; sed inspectis cuiusque meritis, scienter decernere quinam sint initiandi. Verum in hac investigatione a

Rectore seminarii praecipue iuvandi sunt. Quocirca Rector, inspectis scientia, moribus, virtute et generatim aptitudine alumnorum, ipsis indicabit, quando ab Episcopo petere debeant, ut ad primam tonsuram vel ad ordines, sive minores, sive maiores admittantur.

VII. — Singulis annis Episcopo rationem reddat de administratione, necessitatibus, progressu et statu seminarii.

§ IV.

De Praefecto spiritus.

Post Rectorem, summopere interest ut in quolibet seminario adsit director, seu praefectus spiritus, qui et ordinarius sit alumnorum confessarius et eos dirigat in omnibus, quae proprie pertinent ad eorum formationem in spiritu. Et tanto magis interest, quia hi alumni postea in variis ministeriis ecclesiasticis, futuri sunt directores spirituales, pro dioecesi universa.

I. — Eligatur proin ad hoc officium vir gravis, prudens, zelosus, minime novitius in animarum directione, doctrina aequae ac virtute et pietate solida eminentis. Magnam etiam habeat patientiam, humanus sit et affabilis in conversatione, minime morosus, sed hilaris potius et amoenus.

II. — Ipsius erit alumnorum excipere confessiones, singulis quindecim vel melius octo diebus; paratusque semper sit quoscumque, qui intra id tempus eius directione et ministerio indigeant, cum omni caritate suscipere.

III. — Praeterea statuto tempore v. gr. singulis octo diebus breves habeat instructiones spirituales ad alumnos. Designabit libros pro lectione spirituali, et tradet puncta pro quotidiana meditatione matutina.